Fragmentarium

dicunt ei. Venimus et nos tecum. Et exierunt et
ascenderunt in navim. et illa nocte nichil prendiderunt. Mane autem iam facto stetit ihc in litore. non
tamen cognoverunt discipuli quia ihc est. Dicit ergo
eis ihc. Pueri numquid pulmentarium habetis.
Responderunt ei. Non. Dicit eis. Mittite in dexteram navigii rete et invenietis. Miserunt ergo et
iam non valebant illud trahere pre multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat ihc petro.
Dominus est. Symon petrus cum audisset quia dominus est.
tunica succinxit se. erat enim nudus. et misit se
in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt. Non enim longe erant a terra. sed quasi cubitis ducentis
trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram.
viderunt prunas positas. et piscem superpositum
et panem. Dicit eis ihc. Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit symon petrus et traxit
rete in terram plenum magnis piscibus centum
quinquaginta tribus. Et cum tanti essent non est

[illegible]

[...] hoff beghinnen Joannis lx.

Deus qui nos annua beate cecilie martiris tue sollempnitate letificas. da ut quam veneramur officio.
etiam pie conversationis sequamur exemplo. per. Secreta
Hec hostia domine placationis et laudis quesumus intervenientе beata cecilia martyre tua. nos propitiatione tua dignos semper efficiat. per. Postcommunio
Satiasti domine familiam tuam muneribus sacris.
beate cecilie martiris semper intercessione nos refove cuius sollempnia celebramus. per. Clementis
Deus qui nos annua beati clementis martiris tui atque pontificis sollempnitate letificas. concede propicius. ut cuius natalicia colimus virtutem quoque passionis imitemur. per. Secreta
Munera domine oblata sanctifica. et intercedente beato clemente martire tuo per hec nos peccatorum nostrorum maculis emunda. per. Postcommunio
Corporis sacri et preciosi sanguinis repleti libamine quesumus domine deus noster. ut intercedente beato clemente quod pia devotione gerimus. certa redemptione

Anno xb. lx.

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/29, fol. [2]v-[1]r – Sacramentary (https://fragmentarium.ms/view/page/F-2zda/6493/55688)